

sub forma infrascripta: videlicet quod fiant tot breves quot sunt consiliarii predicti, in quibus scribatur nomen singulariter¹⁾ cuiuslibet consiliarii, et ipsis brevibus sic scriptis ponantur in uno sacheto, qui stare debeat penes dominum potestatem vel vicarium loco potestatis, et tunc quando mittentur capitanei ad custodiam dictorum castrorum, scilicet duo ad castrum Mocho et unus ad castrum Mocolani, (et) tunc extrahantur de dicto sacheto tria brevia, presente domino potestate et iudicibus Tergesti, quorum duo in primis brevibus scripti sint capitanei [ad] Mocho, et tercius in tertio breve scripto sit capitaneus // ad Moncolanum, et hoc per .XV. dies. Et sic 97 A
singulis quindecim diebus extrahantur tres breves de dicto sacheto ut supra dictum est, donec omnes de maiori consilio iverint pro capitaneis ad custodiam dictorum castrorum, et
15 expletis omnibus de dicto maiori consilio, tunc de novo dicta brevia reducantur in dicto sacheto per modum predictum.
¶ Qui capitanei ire debeant personaliter ad custodiam dictorum castrorum, nec eis dari possit licentia mittendi pro se; salvo iudicibus Tergesti, cancellariis comunis, camarario comunis, protectore, notario malefitorum, procuratore comunis,
20 funtecario comunis, notario procuratoris et funtecharii comunis et vicedominis comunis et infirmis, de quibus infirmis fieri debeat fides per medicos cum sacramento ipsorum domino potestati et iudicibus comunis. ¶ Qui vero infirmi, de quibus
25 fides predicta facta fuerit, ac officiales supradicti mittere possint pro se ad custodiam predictam unum hominem de maiori consilio Tergesti sufficientem, ad beneplacitum ipsorum domini potestatis et iudicum, qui presentari debeat eisdem antequam mitteretur pro capitaneo ad dictam custodiam, sub
30 pena decem libr. par. pro quolibet et qualibet vice contrafacta. Qui capitanei antequam irent ad dictam custodiam venire debeant coram dicto domino potestate, quibus idem dominus potestas dare debeat sacramentum de denunciando omnes deficientes ad custodiam castrorum predictorum // tempore eorum 97 B
35 offitii, et omnes qui non essent personaliter ad eorum custodias.

¹⁾ Aggiunta marginale.